



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

X. S. Nymphae Passio Altera

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A sanctorum, venerunt cum eo ad locum ubi sancta Nympha cum sanctis martyribus iacebat. Factum est autem, ut iactatus est<sup>10</sup> ante sepulchra illorum, mox in figura colubri diabolus exivit de homine, ita ut omnes qui ibi aderant oculis viderent. Coeperunt itaque cuncti<sup>11</sup> glorificare Deum et merita sanctorum martyrum, simulque beatæ Nymphae virginis, quia per intercessionem eorum de tam pestifera morte cum<sup>12</sup> liberavit. Post hæc autem ipse homo permansit in ipso loco, dimittens mundum et pompas eius, servivitque Domino et sanctis eius qui ibidem requiescunt, usque dum vixit<sup>13</sup>, quoniam servitores loci illius ar-

tam vitam ducebant propter aquam dulcem quæ ibi deficiebat. Unde<sup>14</sup> pariter<sup>15</sup> in orationem se<sup>16</sup> prostraverunt ut Dominus per orationes martyrum et preces fidelium aquam dulcem eis in illo<sup>17</sup> loco tribueret. Qui dum surrexissent ab oratione, venam aquarum in capite sepulchri virginis viderunt exire. Tunc omnes laudaverunt memoriam<sup>18</sup> et beneficia sanctorum martyrum simulque beatæ Nymphae virginis, quæ per eos Dominus facere dignatus est, ad laudem et gloriam nominis eius, cui est honor et gloria<sup>19</sup>, potestas et imperium<sup>20</sup> nunc et semper et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

S. NYM-  
PHAE  
PASSIO I

Fons  
erumpit.

<sup>10</sup> iactatum esset V 1. — <sup>11</sup> (c. i. c.) et ceperunt V 1. — <sup>12</sup> om. V 1. — <sup>13</sup> et add. V 1. — <sup>14</sup> om. V 1. — <sup>15</sup> se add. V 1. — <sup>16</sup> om. V 1. — <sup>17</sup> om. V 1.

— <sup>18</sup> victoriam V 1. — <sup>19</sup> et add. V 1. — <sup>20</sup> (et i:) om. V 1.

B

## X. S. NYMPHAE PASSIO ALTERA

E

E codicibus bibliothecae Vaticanae lat. 5695 (= R 1), et Capituli Sanctae Mariae Maioris B (= R 2). Cf. Comm. praev. num. 26, 31.

Vita<sup>1</sup> sanctae Nymphae, virginis et martyris<sup>2</sup>.

Nympha,  
praefecti  
Aureliani  
jilia,

1. In Sicilia insula, civitate Panormo, fuit quidam vir nobilis, Aurelianus nomine, prudens et eloquens, cui Romanae urbis principes praefectoriam concesserant dignitatem, hoc ei in mandatis iubentes, ut omnes sine audientia perimeret<sup>1</sup>, qui cervicem suam idolis flectere recusassent. Hic habebat unicum filiam, ornatam moribus, facie speciosam, nomine Nympham, quam volens ab infamia<sup>2</sup> custodiri, in secreto sui palatii cubiculo collocaverat, duabus ancillis ad eius obsequium delegatis. Erat autem in eadem civitate episcopus, vocabulo Mamilianus (1), sapientia plenus, vultu modestus, moribus decoratus, qui cum ob persecutionis saevitiam praedicare publice non auderet, secreto quos poterat ad fidem catholicam convertere. Factum est autem, die quodam, ut duo ex discipulis eius versus praefecti curiam pergerent, si forte aliquos suae fidei homines agonizantes cernerent, quorum corroborati exemplo discerent saeva poenarum genera non timere<sup>3</sup>, et dum palatio propinquassent intuens Nympha per cancellos triclinii vidit eos pariter venientes, et mirata compositionem gressus eorum, vocavit unam de ancillis suis, et ait<sup>4</sup> ei: « Qui putas<sup>5</sup> isti sunt, tanta gravitate compositi? » Quae respondit: « Puto, domina, quod christiani sint, illius<sup>6</sup> Dei famuli qui de caelo descendens per uterum Virginis in mundum venit, et multa fecit miracula<sup>7</sup>, tantaeque humilitatis dicitur extitisse, ut etiam discipulorum lavaret pedes et pro salute mundi crucis subiret patibulum, et tandem mortis victor ad caelum

S. Mami-  
liani dis-  
cipulos  
excipit;

creditur ascendisse. » Nympha dixit: « Et quare haec omnia sciens mihi ea non reserabas? » Illa respondit: « Quia cum stupenda sint<sup>8</sup>, non poteram de omnibus plenariam<sup>9</sup> reddere rationem. » Et Nympha dixit: « Quicquid tuae cognitioni<sup>10</sup> deest, per hos<sup>11</sup> scire poterimus; cum igitur sol occubuerit, admitte viros, ut tam praecleara mysteria indagemus. » Quod cum secreto illa fecisset, introducti sunt viri in cubiculum; ubi cum suis ancillis virgo gloriosa manebat, et postquam salutarerunt se mutuo, fecit eos Nympha coram se<sup>12</sup> residere, et alloquens eos, ait: « Obsecro, viri Dei famuli, ut omnem seriem fidei christianae mihi per ordinem enarretis, nam quasi furtive suscepit auris mea quae de eadem mihi suggesta sunt. » At illi agnoscentes desiderium eius coeperunt evangelicae doctrinae referre historiam et notas ei facere vias vitae. Tunc Nympha semen verbi divini, quasi bona terra suscipiens, armariolo sui pectoris omnia recondebatur, et dum de iis mutuo loquerentur, suggestit virgo clam ancillae suae ut afferret aquam et pelvem ac linteamen, quatenus ad exemplum dominicum lavarentur pedes sanctorum. Quod ubi factum est, procidit virgo ad vestigia eorum, dicens: « Deprecor vos, famuli Christi, ut laventur pedes vestri per manus ancillae vestrae. » Qui responderunt cum lacrymis: « Aperiat Dominus oculos cordis tui, ut fructificet in te doctrina nostra. » Postquam ergo lavit pedes eorum, fecit parari mensam, ut eis ministraret carnalia, qui sibi spiritualia ministrassent, deinde ait eis<sup>13</sup>: « Explete in me, amici Dei, quicquid expedit ad salutem animae meae. » Qui responderunt: « Sine, indicemus haec magistro nostro Mamilia-

ab eisdem  
docetur

F  
Psalm.  
15, 11.

Lemma. — <sup>1</sup> eodem die vita R 1, 2. — <sup>2</sup> (v. et m.) om. R 2.

1. — <sup>1</sup> perimerent R 2. — <sup>2</sup> infamiam R 1; infantia R 2. — <sup>3</sup> timerent R 2. — <sup>4</sup> dixit R 2.

(1) Supra, p. 373, annot. 1.

— <sup>5</sup> puta R 2. — <sup>6</sup> scilicet add. R 2. — <sup>7</sup> miracula R 2. — <sup>8</sup> sunt R 2. — <sup>9</sup> om. R 2. — <sup>10</sup> cogitationi R 2. — <sup>11</sup> //os R 2. — <sup>12</sup> eo R 1. — <sup>13</sup> om. R 2.

- S. NYM-  
PHAE  
PASSIO II
- no episcopo, et ipse veniens dabit tibi sacramentum baptismatis et indues dominum Iesum Christum. » Nimpha respondit : « Hoc unus ex vobis poterit exequi, alter vero nobiscum remaneat, ut confirmet per illum Deus <sup>14</sup>, quod operatus est in nobis. » At illi : « Elige, » inquit, « ex nobis unum ; alius enim properans negocium procurabit <sup>15</sup>. » Virgo respondit : « Aequae utrumque diligo, tantum impleatur desiderium meum. » Tunc unus ex eis, Goboldeus nomine, concite perrexit ad beatum Mamilianum et notum fecit ei quicquid acciderat. Qui gaudio repletus, oravit Dominum, dicens : « Domine Deus, qui de lapidibus suscitasti filios Abrahae <sup>16</sup>, et confortasti cor ancillae tuae Iudith, ad exstinguendum hostem populi tui, confirma cor huius virginis, et in sui propositi devotione corrobora, saltem quousque ad eam valeam pervenire. » Transacta itaque die quae sibi pro <sup>17</sup> desiderio prolixior videbatur, cum iam terram <sup>18</sup> tenebrae obduxissent, exiens episcopus de latibulo, ac concite pergens, quasi furtim palatium <sup>19</sup> ingreditur et in virginis cubiculum introducit <sup>20</sup>. Quo illa viso pedibus eius advolvitur, dicens : « Bene venisti, diu desiderate, medice animarum, exhibe animae ancillae tuae medicinam salutis aeternae. » Et ille ait <sup>21</sup> : « Salus aeterna haec est, ut credas unum Deum in Trinitate, et baptizeris. » At illa dixit : « Credo, Domine, adiuva devotionem famulae tuae. » Tunc episcopus catecizavit <sup>22</sup> eam, eiusque famulas, et baptizavit in nomine Domini. Mox refusit lumen in cubiculo, et <sup>23</sup> ecce apparuit angelus coronam rosarum ac liliorum ferens in manibus, quam imposuit capiti Nymphae, dicens : « Haec tibi mittit sponsus tuus candidus et rubicundus ut et virginitatem conserves, et usque ad effusionem sanguinis in confessione sui nominis perseveres. »
2. Postquam ergo baptizatae sunt, sedens episcopus docebat eas quae sunt praeccepta vitae, aperiensque os suum dixit : « Ecce, filiae, baptizatae estis, exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, qui renovatur in agnitione, iuxta imaginem creatoris sui. Imago creatoris non habet copulam nuptiarum ; ibi sexus aufertur diversitas, et veterem hominem exuimus, et induimus novo ; ibi in Christum renascimur virginem, qui et natus ex <sup>1</sup> Virgine est et renatus per virginem ; servate ergo virginitatem, cum qua natae et renatae estis, ut quasi sponsae Christi in templum eius adducamini, secundum vocem prophetae dicentis : « Adducentur regi virgines in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis. » Ad haec Nimpha respondit : « Apparet manifeste quod exhortaris nos servare virginitatem, in quo videris praecceptis Dei obviare dicentis, quod heri ex ore <sup>2</sup> discipuli tui divinum : Crescite et multiplicamini et replete terram. » Episcopus ait : « Quod dixit Dominus <sup>3</sup>, crescete et multiplicamini, hoc in principio mundi dictum est ; necesse enim erat prius plantare sil-
- vam et crescere, ut esset quod deinceps posset excidi ; simulque considerate vim verbi : et replete terram ; nuptiae terram replent, virginitas paradisum. Nec hoc dico, ut nubere peccatum sit, cum apostolus dicat : Non peccat virgo, si nubat ; sed ad honestatem, et quietem corporis provoco ; quae enim nubunt, ut idem ait, tribulationem carnis habebunt. Quae sunt tribulationes carnis ? dominium mariti, sollicitudo filiorum, cura domus, cruciatus concubinae, tumor ventris, pondus concepti foetus, quo efficitur mulier aegra et pallida ; ita ut <sup>4</sup> anima eius salubres cibos respuat, noxiis delectetur ; aliquando periclitatur in partu, aliquando gignit filium <sup>5</sup> aliqua parte corporis debilem, vel fatuum, et qui factus adultus esse sibi molestus incipiat. Nos ignari, putabamus nuptias saltem carnis habere laetitiam ; habent autem tribulationem. Praeterea tempus breve est : Dominus prope, etiam si nongentis viveremus annis, ut antiqui homines, tamen breve putandum esset, quod haberet aliquando finem, et esse desineret ; nunc autem cum <sup>6</sup> brevis sit non tam <sup>7</sup> laetitia quam tribulatio nuptiarum, cur <sup>8</sup> contrahimus matrimonia, quae mors cito dissolvit ? Hinc idem ait : qui habent uxores, tamquam non habentes <sup>9</sup> sint, et qui gaudent tamquam non gaudentes, et qui utuntur hoc <sup>10</sup> mundo, tamquam non utantur ; praeterit enim figura huius mundi ; volo autem vos sine sollicitudine esse, de his videlicet quae sunt mundi, quae cum mundo sunt transitura ; nam mulier innupta <sup>11</sup> et virgo, cum non immineat ei sollicitudo maxima, expedite cogitat quae sunt Domini, videlicet ut sit sancta corpore et spiritu. Nonnullae namque sunt virgines carne et non spiritu ; quarum corpus integrum est, anima vero corrupta ; sed illa virginitas hostia Christi est, cuius nec carnem libido, nec meatem maculat cogitatio ; e contrario quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. Praeterea oportet vos cavere superbiam, odium, avaritiam, et reliqua vitia, et imitari virtutes, quia sola virginitas non sufficit ad salutem ; oportet vos cavere nimietatem cibi et potus atque quietis, superfluitatem vestium et alias mundi delicias ; difficile est enim versari inter <sup>12</sup> delicias et deliciarum vitii non teneri. » Nimpha respondit : « Numquid non omnia ad usum hominis creata sunt ? » Episcopus ait : « Vere ad usum hominis, ut videlicet <sup>13</sup> utatur eis ad necessitatem tantum, non ad voluptatem. Cito expletur naturae necessitas ; frigus et fames simplici vestitu et cibo potest expelli ; unde et Apostolus : Habentes, inquit, victum et vestitum, his contenti simus, deliciae enim et epularum varietas <sup>14</sup> fomenta sunt avaritiae ac libidinis. » Tunc una ex ancillis proloquens, ait : « Audi, pater sancte, licebit nobis amodo purpuris uti, aliisque rebus, quibus solet informari speciositas, vel facies colorari ? » Mamilianus <sup>15</sup> episcopus respondit : « Nequaquam ; iniuria enim creatoris est

<sup>14</sup> om. R 2. — <sup>15</sup> provocabit R 2. — <sup>16</sup> Habrahe R 2. — <sup>17</sup> pre R 2. — <sup>18</sup> terra R 2. — <sup>19</sup> corr., prius palatio R 1. — <sup>20</sup> introgreditur R 2. — <sup>21</sup> del. R 1. — <sup>22</sup> catecizavit R 1. — <sup>23</sup> om. R 2. — <sup>1</sup> de R 2. — <sup>2</sup> hore R 1. — <sup>3</sup> Deus R 2.

— <sup>4</sup> corr. R 1, prius et. — <sup>5</sup> aliquando add. R 1. — <sup>6</sup> quod R 2. — <sup>7</sup> tamen R 2. — <sup>8</sup> cum R 2. — <sup>9</sup> habent R 2. — <sup>10</sup> in add. R 1. — <sup>11</sup> nupta et innupta R 1. — <sup>12</sup> mundi add. R 2. — <sup>13</sup> om. R 2. — <sup>14</sup> veritas R 2. — <sup>15</sup> Maminianus R 2.

velle

A velle transformare<sup>16</sup> figmentum, quod ille ad suam fecit imaginem, et supra naturalem colorem colores peregrinos inducere; sed neque carnis curam feceritis in desideris vestris, nec muliercularum superstitiones sectabimini, nec maleficia, nec observabitis dies, vel horas, quas in suis solent operibus observare. » Post haec cum avaritiam<sup>17</sup> et execrandas prohiberet usuras ac de his sermo prolixior haberetur, aurora apparuit<sup>18</sup>. Tunc inferens episcopus ait: « Tempus est ut redeam ad hospitium meum; vos autem perseverate in his quae didicistis et tradita sunt vobis, quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Matth. 10, 22.  
 Rom. 13, 14.  
 Galat. 4, 10.

Armiger Aureliani  
 Act. 19, 8.

B Interea nonnullos<sup>1</sup> de familia patris, tam viros quam mulieres, Nimpha docens convertebat, et suadebat eis de regno Dei, mittebatque eos ad magistrum suum, ut baptizarentur ab eo; sicque factum est, ut cresceret numerus christianorum valde in illa civitate. Factum est autem post dies aliquot, ut Aurelianus mitteret armigerum suum ad filiam suam, quatenus exiret de interiori cubiculo ad vestibulum palatii; erat enim cupiens videre eam. Quod cum ei<sup>2</sup> armiger nuntiasset, illa respondens, ait: « O fili karissime, quam meliorem posses habere dominum, si patrem meum velles deserere, et illi domino adhaerere. » At ille ait: « Quis est de quo loqueris? » Nimpha respondit: « Creator omnium rerum visibilium et invisibilium. » At ille: « Et ego<sup>3</sup> quomodo possem eum videre? » Nimpha respondit: « Per sacramentum regenerationis. » Armiger ait: « Et quis mihi conferret hoc sacramentum? » Nimpha respondit: « Venerabilis Mamilianus episcopus. » Ille vero ait: « Et ego ubi hunc inveniam? » At illa sumens unam de puellis suis, misit cum eo, ubi latebat episcopus. Qui grates Christo de virginis sollicitudine referens, baptizavit eum. Interea Aurelianus multiplicibus negociis occupatus, oblitus fuerat filiam visitare. Cum autem, recordatus propositi sui, intrasset palatium, invenit filiam suam instruendam praefatum armigerum, et quosdam alios fideles de nomine Iesu Christi; et stupefactus exclamavit, dicens: « Quid est, quod audio, filia? numquid insana effecta es? » Nimpha respondit: « Verba vitae sunt, quae Christus veniens in mundum edocuit. » Aurelianus ait: « Quis est Christus? » Dicit ei Nimpha: « Filius Dei vivi, qui natus de Virgine, redemit genus humanum. » Aurelianus ait: « Quomodo consequens est ut alios redemerit, qui interemptus est a Iudaeis? » Nimpha respondit: « Si velles in eum credere et rationem fidei auscultare, approbares verum esse quod loquor. » Praefectus ait: « Quomodo tam verbosa facta es, quae hactenus ut elinguis fuisti? quis est qui te docuit? » Nimpha respondit: « Sapientia quae aperit os mutum et linguas infantium facit disertas. » Tunc viri iniqui accedentes, suggererunt praefecto et sic locuti sunt: « Mamilianus<sup>4</sup>, quem

baptizatur.

C Nympha a patre reprehenditur.  
 Sap. 10, 21.

vestris auribus saepe detulimus, mentem filiae vestrae et multorum aliorum<sup>5</sup> alienavit, et nisi cito eum tuleris, deteriora his faciet. » Tunc Aurelianus iussit diligenter claudi cubiculum ne quis cum Nimpha posset habere colloquium; et ira magna praecepit ut Mamilianus et omnes eius complices<sup>6</sup> tenerentur. Euntes ergo milites, quibus fuerat imperatum, invenerunt episcopum in suo hospitio populum exhortantem; mox arripientes eos per capillos et pugnis contundentes et alapis caedentes eiecerunt eos de latibulo et coram se impellentes ad praefecti palatium deduxerunt. Quos intuens Aurelianus ait: « Et hi omnes christiani sunt? » Respondentes ex officio dixerunt: « Et multo<sup>7</sup> plures quam isti; sed hii simul suis maleficiis incumbabant<sup>8</sup>. » Tunc Aurelianus iussit episcopum ab aliis separari et suis eum tribunalibus sisti; cui et dixit: « Tu es ille, qui suades hominibus a deorum<sup>9</sup> cultura recedere et vanis superstitionibus implicari? » Mamilianus<sup>10</sup> respondit: « Ego suadeo eis ab idolis manu factis recedere, et omnipotentis Dei cultui adhaerere. » Praefectus ait: « Sufficiebat tibi alios decepsisse; cur et mihi meam filiam abstulisti? » Episcopus ait: « Ut esset eius qui creavit eam et mater, et filia et soror et sponsa. » Aurelianus dixit: « Impossibilia sunt quae loqueris; aures nostrae fastidiunt haec audire. » Mamilianus respondit: « Non sine causa dictum est: carnalis homo non percipit ea quae Dei sunt. » Praefectus dixit: « Recede a pravitate viarum tuarum et filiam meam in incolomitatem<sup>11</sup> pristini sensus reforma; alioquin et dolorem nostri animi et deorum iniuriam vindicabimus. » Episcopus ait: « Via veritatis est, quam elegi, quamque filiam tuam<sup>12</sup> docui, ab ea nullatenus recedemus. » Tunc Aurelianus hunc amoveri iussit, et eius discipulos suis optibus praesentari. Quos interrogans, ait: « Cultores deorum estis, an eius qui dicitur Christus? » At illi: « Cultores, » inquit, « Christi sumus. » Praefectus ait: « Nolite in hac insania perdurare, si diversa non cupitis experiri tormenta. » Sancti vero dixerunt: « Et te et minas tuas pro nihilo reputamus. » Iratus ad haec praefectus carnificibus ait: « Levate Mamilianum una cum his in eucleo et verberibus eos diutissime caedite. » Cumque immaniter<sup>13</sup> caederentur, concursus factus est populorum clamantium et dicentium: « Magna iniquitas affligere homines innocentes. » Praefectus autem fecit eos deponi eucleo, et custodiae mancipari, praeciens quaestionariis, ut quosdam ex eis occiderent, quia tantorum examinatio multum sibi fieret onerosa. Sicque factum est, ut triginta quattuor ex eis capite punirentur, de quorum nece residui, magis corroborati quam terri, idem pati pro Christi nomine exoptabant.

4. Sequenti die Aurelianus Nympham sibi fecit intra palatium exhiberi, et nunc ei blanditias, nunc minas proponit. Sed sancta virgo nec blan-

S. NYMPHAE PASSIO II

Mamilianus comprehenditur

1 Cor. 2, 14.

F et in eucleo levati.

Nympha

<sup>16</sup> transformari R 2. — <sup>17</sup> avaritia R 2. — <sup>18</sup> (aurora app.) om. R 2.

<sup>3</sup>. — <sup>1</sup> cum nullus R 2. — <sup>2</sup> corr., prius ea R 1. — <sup>3</sup> inquit add. R 2. — <sup>4</sup> Mamilianus R 2. — <sup>5</sup> corr., prius alienorum R 1. — <sup>6</sup> complices

eius R 2. — <sup>7</sup> multos R 1. — <sup>8</sup> incumbabantur R 1; incubabant R 2. — <sup>9</sup> deo R 2. — <sup>10</sup> Mamilianus R 2. — <sup>11</sup> incolomitate R 2. — <sup>12</sup> om. R 2. — <sup>13</sup> unanimiter.

S. NYMPHAE  
PASSIO II  
multas  
virgines

dicis decipi<sup>1</sup> nec minis poterat deterreri. Videns itaque praefectus immobilem eius animum, iussit eam iterum in custodia recipi, praecipiens de diversis partibus speciosas virgines congregari. Quae cum adductae fuissent, contulit eis ornamenta praecipua et dona multa, rogans<sup>2</sup> eas intrare ad Nympham, si forte possent ipsius animum immutare. Intranses autem proponebant Nymphae delicias<sup>3</sup> temporales, gloriam nuptiarum, fructum filiorum, in quibus etiam vivat homo post mortem, et omnia quibus solent amatores huius saeculi delectari. At vero Nympha, spiritu divino repleta, quicquid de contemptu<sup>4</sup> mundi, de nuptiarum molestiis a sancto Mamiliano acceperat, per ordinem referens, ita sibi omnes virgines conivit<sup>5</sup>, ut non solum

ad  
Christum  
convertit;

B

baptizari deposcerent, sed etiam cum ea<sup>6</sup> pari<sup>7</sup>ter exoptarent. Quod cum praefecto nuntiatum fuisset, fecit eas deonestatas atque exutas eici de palatio et Nympham in tenebroso carcere claudi, ubi Mamilianus et eius clerici servabantur. Venientes autem ad eam virgines sequenti nocte, baptismatis gratiam per manum episcopi perceperunt. Postero vero die, putans ei pater terrorem incutere, fecit eam sibi ad ostium<sup>7</sup> carceris adduci, et in conspectu eius omnia tormentorum genera exhiberi, et proloquens ait: «Omnia<sup>8</sup> haec tormenta experieris, si aequis consiliis refutaveris adhibere consensum.» Nympha respondit: «Vano labore consumeris; fac quod facturus es, nihil enim separare me poterit a caritate Dei.» Tunc indignatus praefectus carnificibus ait: «Ipsam et perversorem eius in ferventis olei mittite dolium, ut par poena puniat quos par connectit iniquitas, et eadem tormenta sentiant, eadem perfidia copulati.»

Rom. 8,39.

cum  
Mamiliano  
in oleum  
ferrens  
mittitur;

Dan. 3.  
Iudith,  
6, 15.

ignis ab  
angelo ex-  
stinguitur.

Psalm.  
65, 12.

Et his dictis abscessit, quasi refugiens filiae cernere cruciatum. Carnifices autem exsequentes eius imperium, cum nox advenisset, omnia paraverunt; et exeuntes utrumque, miserunt eos in ollam ferventis liquoris; quod cum fieret, oraverunt sancti dicentes: «Domine, qui astitisti tribus pueris in camino, adesto et nunc nobis, et noli deserere praesumentes de te.» Et ecce apparens angelus Domini super eos et ignem extinxit et ministris terrorem magnum incussit. Sancti autem exierunt de olla uncti potius quam adusti, confitentes Domino ac dicentes: «Transivimus per ignem et aquam et induxisti nos in refrigerium.» Regressi autem carnifices ad praefectum, cuncta quae gesta fuerant retulerunt. Qui exprobravit eos, mittensque<sup>9</sup> alios carnifices ait illis: «Ite et eos in carcerem mittite, ubi tamdiu sine refectioe sint, donec mihi mortui nuntientur.» Euntes autem carnifices fecerunt ut eis fuerat imperatum; et cum post aliquot dies beata Nympha esuriret, auxilium Domini frequentibus coepit orationibus, una cum sancto episcopo et Goboldeo<sup>10</sup>, eius discipulo, postulare.

5. Apparens autem angelus Domini<sup>1</sup> refecit D

eos et ait illis: «Quia persecuntur vos<sup>2</sup> in civitate ista, mandatum attendentes dominicum, fugite in aliam.» Sancti autem dixerunt: «Si hinc exire nos oportet, instrue qualiter Romam pergere debeamus; desiderio enim desideramus apostolorum memorias visitare.» Angelus ait:

Matth.  
10, 23.

«Sequimini ergo me et ego implebo desiderium vestrum.» Surgentes autem sequebantur eum, et pervenerunt ad ianuam carceris, quae ultro aperta est eis; et exeuntes pervenerunt ad litus maris; et ecce navis transiens coram illis, et innuerunt naucleris<sup>3</sup> ut applicarent ad litus; quod et fecerunt, et exposuerunt eis desiderium suum, quomodo Romam videre desiderarent; et susceperunt eos. Et cum longa maris spatia navigassent<sup>4</sup>, coeperunt nautae loqui de prandio et tristari quod vinum eis omnimodo defecisset. Quod beatus Mamilianus intelligens ait: «Nolite tristari, fratres; est nobis parum vini in vasculo; potens est enim Deus augere illud.» Confortati nautae ad verbum eius, coeperunt comedere;

Ab angelo  
custodia  
educti  
Act.  
12, 10.

E

erant autem viri numero quasi viginti novem et augmentavit vinum ad verbum sancti Mamiliani, qui augmentaverat oleum ad verbum Helisei<sup>5</sup>, ita ut non deficeret nautis per plures dies donec Romam venerunt; et cum pervenissent ad montem Gilium (1), et vidissent sancti locum aptum, in quo possent sine saeculari tumultu contemplationi vacare, elegerunt solitudinem ibique remanserunt, die noctuque Domino servientes. Et cum salutaribus studiis iugiter inhaerent, apparuit eis angelus dicens: «Parati estote et quia Dominus iubet ex hac luce migrare<sup>6</sup>, ut sit requies laboribus vestris.» Illi autem prostrati ad orationem dixerunt: «Fiat voluntas tua, Domine. Verumptamen prius optaremus sanctorum apostolorum limina visitare.» Iterum apparuit angelus beatae Nymphae, dicens: «Desideria cordis vestri Dominus exaudivit, concedens vobis vitae spatium, donec fiat vobis sicut petistis; descendite ergo ad mare, et invenietis naviculam Romam euntem.» Cumque beata Nympha hoc sociis retulisset, alacres facti descenderunt ad mare et invenerunt naviculam secus litus. Accedentes itaque salutaverunt nautas atque dixerunt: «Quo navigaturi estis, fratres?» Qui responderunt: «Romam.» Et ait eis sanctus Mamilianus: «Suscipite<sup>7</sup> nos vobiscum ut recompensetur vobis a Domino.» Qui responderunt: «Nequaquam, nisi naulum dederitis.» Beata Nympha respondit: «Non est nobis argentum vel aurum<sup>8</sup>; hoc et dominus noster Iesus Christus novit, qui potens est vobis tribuere<sup>9</sup> mercedem pro servis suis.» Ad haec verba nauta faciem suam avertit, nolens sanctos in navi levare. Qui reversi sunt ad cacumen montis orantes et dicentes: «Domine, qui dignatus es praedicere nobis obitum nostrum, dignare<sup>10</sup> in-

4 Reg.  
4, 2-7.

ad montem  
Gilium  
perveniunt.

Matth.  
6, 10.

F

Act. 3, 6.

4. —<sup>1</sup> decepi R 2. —<sup>2</sup> prorogans R 2. —<sup>3</sup> divitias R 2. —<sup>4</sup> contentu R 1. —<sup>5</sup> conuivit R 2. —<sup>6</sup> eas R 2. —<sup>7</sup> hostiam R 1, 2. —<sup>8</sup> ut omnia R 1. —<sup>9</sup> (que) om. R 2. —<sup>10</sup> episcopo egoboldeo R 2.  
5. —<sup>1</sup> angelus autem domini apparens R 2.

—<sup>2</sup> corr., prius nos R 2. —<sup>3</sup> naucleris R 1. —<sup>4</sup> spatiana iugassent R 2. —<sup>5</sup> Elisey R 2. —<sup>6</sup> migrate R 2. —<sup>7</sup> suscipe R 2. —<sup>8</sup> aurum vel argentum R 2. —<sup>9</sup> retribuere R 2. —<sup>10</sup> nobis add. R 2.

(1) Supra, p. 377, annot. 2.

A sinuare, quomodo Romam valeamus adire. Interea tempestas valida orta est, ita ut navicula, quae levare illos noluerat, videretur periclitari; et cum expectarent naufragium eo quod iam desperassent, recordatus unus eorum ait proximo suo: « Ne forte quia viros illos exaudire nolumus, ideo nos invenerunt <sup>11</sup> mala ista. » Et votentes vota Domino, conabantur reducere navem ad montem, ubi sanctos dimiserant. Quo cum tandem pervenissent, occurrentibus sanctis, locuti sunt dicentes: « Peccavimus, nolentes compati vobis; idcirco impediti sumus; precamur itaque vos, ut oretis pro nobis, si forte placetur Deus, et ingressi navigate nobiscum. » Cumque introissent in navem, facta est magna tranquillitas; et navigantes pervenerunt ad farum Romani Portus et permanserunt ibi nocte illa; et ecce angelus Domini apparuit sancto Mamiliano in sompnis, dicens: « Exite de navi diluculo et pergite ad locum situm iuxta Bucinam (1), quem multitudo paganorum inhabitat; ubi videbitis altam pinum et sub ea criptam pulchre constructam, in qua Proculus et Eustotius commorantur (2). » Sanctus autem Mamilianus audiens de discipulis suis qui persecutionem metuentes secesserant, glorificavit Dominum. Mane igitur facto, valedicentes nautis, arripuerunt iter eis a Domino praemonstratum; et cum pervenissent ad criptam, ingressi sunt et reppererunt sanctos; quos in pacis osculo salutantes, pariter permanserunt. Et postquam sua gesta invicem sibi <sup>12</sup> narraverunt sumentes cibum, collaudabant Dominum. Post haec beatus Mamilianus discipulis suis ait: « Nostri propositi est Romam petere, et apostolorum memorias <sup>13</sup> adorare; nunc igitur praeparate nobis hic locum, ut redeuntis maneamus vobiscum. » Et his dictis, assumens beatam Nympham et Gobeldeum (3), recto itinere Romam <sup>14</sup> venerunt. Cum autem urbem intrarent, ecce leprosus quidam iacebat in itinere, a transeuntibus alimoniam postulans. Hunc aspiciens beata Nympha compassa est ei et assumens panem, quem habebat in pera, porrexit ei. Et cum sibi panem ad os <sup>15</sup> applicuisset, sanus factus est <sup>16</sup>, et currens divulgavit omnibus, quomodo receperat sanitatem. Quaerentes autem sanctos cum eos repperire non possent, observabant portas civitatis. Porro sancti transeuntes, per medium illo-

1 Macc.  
6, 13.

Matth.  
8, 26.  
Romam  
navigant;

B

ubi  
Nympha  
leprosum  
sanat.  
Luc. 4, 30.

rum ibant, et tamen videri non poterant. Reversi autem ad Proculum et Eustotium, morabantur pariter in praedicta cripta Domino servientes. Post aliquantum temporis, praesciens sanctus Mamilianus obitum suum, convocavit beatam Nympham aliosque fratres, et ait eis: « Audite, filii, patrem vestrum et praeparate vos ad sepulturam eius; tempus enim resolutionis meae instat, quo terra mei corporis terrae reddatur, et pulvis pulveri commendetur. Vos autem state firmi in fide; pugnate adversus insidias inimici, ut die vocationis vestrae parati inveniamini. »

6. Porro sancti haec audientes flebant quasi qui patrem ac pastorem amitterent et cum iterum eos beatus Mamilianus salutaribus commoneret alloquii et in manu Domini suam animam commendaret, emisit spiritum. At illi, iuxta traditionem ecclesiasticam, eius celebrantes exequias et ymnos Domino decantantes, sepelierunt eum in eodem loco. Post cuius obitum Proculus et Eustotius et Gobeldeus infra sex menses similiter migraverunt et a beata Nympha ibidem sepulti sunt. Post haec autem vixit beata Nympha undecim mensibus et diebus quatuor, infra quod omne spatium piis insistens operibus, cunctos ad se venientes de fide catholica et die mortis, ac timore supremi <sup>1</sup> iudicii commonens, incredulos convertibat, credentes autem in via Domini roborabat. Et cum per ipsius doctrinam ydolorum cultura pene videretur abolita, quidam pagani zelo diabolico concitati, irruerunt in illam, volentes eam perimere, et criptam mansionis eius evertere. Eadem hora, terraemotus factus est magnus, ita ut omnis illa regio concuti videretur; quod pagani cernentes, territi sunt et credentes in Christum sanctam virginem reverebantur. Cum autem iam vellet eam <sup>2</sup> Spiritus in suum cubiculum introducere et eius nuptias celebrare, languore tacta est, ut vocationis suae diem sollicitius exspectaret. Itaque exhortatis omnibus quos Christo lucrata fuerat, in magna iocunditate migravit ad Dominum mensis novembris die duodecima (4). Christiani vero plorantes et valde tristes, sepelierunt corpus eius iuxta corpora aliorum sanctorum, ubi et <sup>3</sup> ecclesiam construxerunt ad honorem domini nostri Iesu Christi, viventis in saecula saeculorum. Amen.

S. Nym-  
phae  
PASSIO II

2 Tim.  
4, 6.

1 Petr.  
5, 9.

SS. Ma-  
miliani,

Proculi,  
Eustotii,  
Gobeldei

Matth.  
28, 2.

et  
Nymphae  
obitus.

F

<sup>11</sup> invenerint R 2. — <sup>12</sup> om. R 1. — <sup>13</sup> memori// R 2. — <sup>14</sup> Roma R 1. — <sup>15</sup> eos R 1. — <sup>16</sup> om. R 1.

6. — <sup>1</sup> summi R 2. — <sup>2</sup> ea R 2. — <sup>3</sup> om. R 2.

(1) Supra, p. 377, annot. 3. — (2) Ibid., annot. 4. — (3) Ibid., annot. 1. — (4) In Passione priore, supra, p. 378, Nympha mense novembri die deci-

mo occubuisse dicitur. Hoc quippe die Romae, duodecimo vero Panormi eius festum celebratur. Comm. praev. num. 35.